

IN CONSTITUT. CAP. II.

25

ram **UNIGENITUS** considero, cum immensis
inde orituris in perpetuum fructibus, quibus
occasione partim præbuerit Quesnelli in-
scribendo temeritas, divinam suspicere co-
gor, & laudare providentiam, quod eripi-
cum carceri permiserit, ac dein scriptis plus-
quam antea vacare; ut felicem quodammodo
prædicare liceat culpam, felicia Ecclesiæ
vulnera, quæ tales promeruerint curatio-
nem. Malum enim alioquin serpebat tacitè;
quod occultius, eò gravius nocitum: *Obser-*
vationibus autem moralibus, eti publicis, ac-
cusator deerat sufficienti prædictus authorita-
te, donec Quesnelli temeritas, & totius, co-
suscitante, fæctionis audacia, Episcoporum
excivit solitudinem, ut venenum tot aliis
passim Voluminibus dispersum, in uno colle-
etum decumano opere, Sedi Apostolicae de-
nunciarent. Ita securis ad radicem posita est,
ut quod centenis lucubrationibus plantatum
à Jansenii tempore fuerat, duabus **CLEMENTI-**
IS XI. Constitutionibus exscinderetur. Cau-
sa finita est: error utinam finiatur!

C A P U T I I .

*Occasio Constitutionis contra Propositiones
ex moralibus Observationibus
excerptas.*

LIBER Quesnelli tacito authoris nomine;
sed magnifico patrocinantium elogio,
& potenti autoritate munitus, annis
pluribus non Gallias tantum; sed & Belgium,
Angliam, & alias regiones finitimas impunè
pervagatus est, magno Ecclesiæ detimento,
& exitio animarum, quas hærefoes veneno
tacitè perdidit, antequam mali incideret su-
spicio. Alliciebant & sermonis Gallici poli-
tioris blanditiae, & affectatæ ubique species
pietatis. Ut autem liber asceticus apparebat
potius, quam dogmaticus, piorum utriusque
sexus hominum magis, quam scholasticorum
manibus terebatur. Unde pestilens hærefoes
virus, subdolo melle propinatum fecellit, in-
fecit, enecuit plurimos, à paucioribus agni-
tum. Sed & quibus subinde enuntiatio quæ-
dam durior, neque Catholicæ Doctrinæ con-
grua videbatur, Doctorum, maximè Antistit-
tum authoritas persuasit, verba sensu catho-
lico, eti proprio, & in vocibus minimè
apparenti esse intelligenda. Peritiores tamen,
& in Jansenianis officiis dignoscendis ver-
fatos non latuit malum, nec decepit versu-
tia; sed periculi res plena apparebat, præ-
fertim in Galliis, palam reprehendere hære-
foes, quod velut Catholicum, velut pium
tanta divulgabat authoritas. Quapropter
Constitutio theol. propugn. Tom. I.

quocunque murmur fuerit, quæcunque bo-
norum querimonia, foras prorumpere vix
ausa, ferè domesticos intrâ parietes se dudum
continuit. Inter primos qui plus ausi sunt,
fuit D. De Fromageau Doctor & socius Sor-
bonicus, qui anno 1694. articulos 199. ve-
luti erroneous & reprehensione dignos, ex Ques-
nelli opere collegit. Confidentialius & publi-
cè; sed imprudenter vellicavit eundem librum
Author famosi *Problematis*, anno 1698, ar-
repta occasione ex censura Eminentissimi Pa-
risiensis Antistitis, qua *Expositionem Fidei Ger-*
beronianam anno 1696, velut hereticam,
& totius Jansenismi compendium condemna-
vit. Quærebat problematis Scriptor, cui cre-
dendum potius esset, Noallio nunc Archie-
piscopo Parisiensi Articulum damnanti in *Ex-*
positione Fidei, an eidem Noallio olim Episco-
po Catalaunensi, eundem in Quesnelli *Obser-*
vationibus approbanti. Articulus erat qua-
lis ferè exprimitur in Constitutione secundus:
absque gratia efficaci nos præcepta Dei
non solum non observare, sed neque posse.
Supponamus eandem utrobique enuntiatio-
nen esse, iisdem, vel æquivalentibus expref-
sam vocibus, & eodem sensu: attamen neque
charitas, neque æquitas, & debita tanto Prä-
fulti reverenter sinebat exprobrari errorem,
publica retractatione abdicatum. Ipsi Augu-
stino errare contigit, & à Manichæismo in
Semipelagianismum incidere, quem errorem
dum agnoscit, & corrigit, nemo dein duxer-
it exprobrandum. Pronum est, Antistitem
in approbandis quatuor voluminibus, vel ex
aliena relatione, vel ex inadvertentia inter
multiplices negotiorum distractiones decipi,
quem si postea lapsum deprehendens damna-
verit, laude se eximiâ apud omnes, nullo
improperio ostenderit dignum; quapropter
jure meritissimo Problema, & à Parisiensi Se-
natū, & Romæ à S. Officio proscriptum est.
Quod damnationi Problematis præmis-
sum est examen, forte indirectè, sed leviter at-
tigerit Propositiones *Observationum* aliquas,
quarum tunc causa minimè agebatur; nam eti
Observationes, quas nemo haçtenus, præter
obscurum, & anonymum accusare ausus fue-
rat, hæreticæ forent, censuram tamen evadere
problema non poterat, quod non doctrinam
Observationum hæreticam; sed Catholicam
hærefoes censuram fallaci problematis no-
mine impeteret. Non tamen problematis con-
demnatio videri debuit *Observationum* appro-
batio; nam eti hærefoes toxico scatuisserit,
minimè tamen debuit *Expositio Fidei* etiam
heretica abire immunis: neque problema irre-
verens, & contumeliosum permitti; sed si nihil
aliunde obfuerit, persuadere debuerat Chri-
stiana